

Ascendit in celum etc. ut supra usque operante humani generis inimico inter te et karissimum in Christo filium nostrum .. illustrem regem Ungarie patrem tuum gravis est dissensionis materia suscitata, que non solum vobis et regno vestro, sed diversis orthodoxis nationibus etc. usque lacerandos. Attende, quesumus, quid dicitur, dum auditur, quod Cumanis scismaticis et nonnullis aliis fautoribus tuis copula perniciose confederationis adiunctus accingeris^{a)} arma sumere contra patrem eundem et ad iura regalia manus extendere noxias filiali reverentia non sine nota dampnabili relegata. Numquid non verecundie rubore perfunderis, dum vulgus clamat, quod amicitiam contraxisti cum hostibus, ut te proprio genitori constituas inimicum? O karissime fili, pelle rancoris concepti nubilum, quod operit tui claritatem aspectus. Considera, quod fame proprie titulos caligine obumbras infamie, dum illorum nitorem ingratitude pravitae confundis. Pensa provide, quod oculos divine maiestatis offendis, dum illi te irreverenter ingratum exhibes^{b)}, cui saltem nature debito filialem teneris impendere famulatum. Dic, fili, desideras aut intendis pugnando consequi, quod hereditaria tibi successione defertur? Dic iterum, si cum eodem patre, quod absit, venies ad conflictum, quid gloriosius putas: an illi cedere vel speratum de patre obtinere triumphum? Profecto, si pietati locum indulgeas, digno decernes iudicio per te ipsum tutius esse patri succumbere quam triumphare de patre. Hoc igitur exortatio^{c)} nostra desiderat etc. ut in prima usque ad finem.

XIV.

(Papst Urban IV.) an die Königin (Maria) von Ungarn; beklagt den Streit zwischen ihrem Gemahl (Bela IV.) und ihrem ältesten Sohn S(tephan V.), teilt die Entsendung des Frater V(elascus) mit und fordert die Königin auf, an der Beilegung des Streites mitzuwirken.

(1263)¹⁾.

Hs. fol. 29^a.

Regine Ungarie illustri.

Gravi amaritudine nostra respersa sunt viscera super eo, quod, sicut accepimus, inter carissimum in Christo filium nostrum .. [regem] Ungarie virum et S. primogenitum tuos illustres reges inimicus humani generis adeo perniciose dissensionis materiam suscitavit, quod alter alterum collectis hinc inde viribus proponit hostiliter impugnare. Ex

^{a)} accingens *Hs.* ^{b)} so statt exhibes ^{c)} so statt exhortatio

¹⁾ Zur Datierung oben S. 186 f. Nr. 96.